

**Dissertatio sollemnis medico-chirurgica de haemorrhagia suppuratoria ... /  
praeside ... Philippo Adolpho Boehmero ... pro gradu doctoris ... d. xv.  
decembris, A. R. S. MDCCCLIX publice defendet auctor Ioannes Andreas  
Gercken.**

### **Contributors**

Böhmer, Philipp Adolph, 1717-1789.

Gercken, Johann Andreas.

Universität Halle.

### **Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : E Typographeo Vesteriano, [1759]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/y7jv5mvc>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

D. c. 14  
DISSERTATIO SOLLEMNIS MEDICO-CHIRVRGICA

DE

# H A E M O R R H A G S V P P V R A T O R I

QVAM

DIVINI NVMINIS AVSPICII

E T

ILLUSTRIS ORDINIS MEDICI CONSENSU,

P R A E S I D E

VIRO ILLEUVSTRI, EXCELLENTISSIMO  
EXPERIENTISSIMOQUE,

D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMEO

MEDICINAE ET ANATOMIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,  
ACADEMIARVMQUE CAESAREARVM NATVRAE CVRIOSORVM ET PETROPOLITANA  
NEC NON REGIAE BEROLINENSIS SCIENTIARVM SODALI,

## PRO GRADV DOCTORIS,

SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS LEGITIMO  
MODO HONORIFICE CAPESSENDIS,

D. XV. DECEMBRIS, A. R. S. CLOCCCLIX

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES ANDREAS GERCKEN,

SOLTQVELLA - PALAEO - MARCHICVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

E TYPOGRAPHEO VESTERIANO.

PROGERIDA-BELOGOROD

V I R O  
PERILLVSTRI. EXCELLENTISSIMO. EXPERIENTISSIMO  
DOCTISSIMOQUE  
D O M I N O  
D. ANDREAE. ELIAE  
BÜCHNERO  
SACRI. ROMANI. IMPERII. NOBILI  
POTENT. BORVSSOR. REGI. A. CONSILIIS. INTIMI  
MEDICINAE. ET. PHILOSOPHIAE. NATVRALIS. PROFESSORI  
PVBLICO. ORDINARIO  
ACADEMIAE. CAESAREAE. NATVRAE. CVRIOSORVM  
FACVLTATIS. MEDICAЕ. H. T. DECANO. SPECTATISSIMO  
P R A E S I D I  
ACADEMIARVM. REGIARVM. BEROLINENSIS. MONTISPESVLANA  
ET. ELECTORALIS. MOGVNTINO-ERFVRTENSIS. SCIENTIARVM. VTLIVM. SODALI  
COMITI. PALATINO. CAESAREO  
P A T R O N O. F A V T O R  
ATQVE  
P R A E C E P T O R I. S V O  
OMNI. MENTIS. REVERENTIA  
AETERNVM. PROSEQVENDO

NEC. NON

V I R O.

ILLVSTRI. EXCELLENTISSIMO. EXPERIENTISSIMO  
DOCTISSIMOQVE

D O M I N O

D.PHILIPPO.ADOLPHO  
BOEHMERO

MEDICINAE. ET. ANATOMIAE. PROFESSORI  
PVBLICO. ORDINARIO

ACADEMIARVM. CAESAREAE. NATVRAE. CVRIOSORVM  
ITEMQVE. IMPERIALIS. PETROPOLITANAЕ. ET. REGIAE, BEROLINENSIS

SCIENTIARVM SODALI

PATRONO. FAVTORI. HOSPITI  
ATQVE

PRAECEPTORI. SVO

EA. QVA. DECET. OBSERVANTIA

SEMPER. DEVENERANDO

VT. ET  
V I R O  
EXCELLENTISSIMO. EXPERIENTISSIMO  
DOCTISSIMOQVE  
D O M I N O  
PETRO. IMMANVELI  
HARTMANNO  
MEDICINAE. DOCTORI  
ATQVE  
PRACTICO. LONGE. CELEBERRIMO  
ACADEMIARVM. CAESAREAE. NATVRAE. CVRIOSORVM. ET, ELECTORALIS  
MOGVNTINAE. ERFVRTENSIS. SCIENTIARVM. VUTILIVM  
SODALI  
PATRONO. FAVTORI  
NEC. NON  
PRAECEPTORI. SVO  
OMNI. PIETATIS. CVLTV  
AD. CINERES. VSQVE  
EXCIPIENDO

PRIMITIAS. HAS. ACADEMICAS

I N

PUBLICVM. ATQVE. SOLEMNE  
PIETATIS. MENTIS. OBSTRICTISSIMAE

AC. DEBITAE. GRATITUDINIS.

DOCUMENTVM

C V M

PERPETVAE. FELICITATIS

E T

SUCCESSVVM. SEMPER. PROSPERRIMORVM

INTEGERRIMO. VOTO

E T

AMPLIORI. SVI. COMMENDATIONE

D. D. D

A V T O R



DISSERTATIO SOLLEMNIS MEDICO-CHIRVRGICA  
DE  
**HAEMORHAGIA SVPPVRATORIA.**

**PRO E M I V M.**



Euoluenti mihi subinde immortalia CELSI, inter antiquos Romanos medicos facile principis, monumenta litteraria inter alia scite dicta hoc quoque memoratu dignissimum semper est visum, vbi sapientissimus

mus

*PRO O E M I V M.*

mus hic vir: *In medicina etiam, inquit \*), ubi per-*  
*petuum est, quod fieri debet, non tamen perpetuum est id,*  
*quod consequi conuenit.* Saepenumero enim haec  
mecum considerate animo versans, circum-  
spiciensque exempla ex omni medicina pra-  
etica, quibus hoc CELSI effatum luculen-  
ter confirmaretur atque illustraretur, intelle-  
xi mox, haud longius peti oportere huius-  
modi testimonia, quippe quae inter omnes  
medicinam facientes quotidiani fere sunt ex-  
perimenti. Quin etiam communem hic o-  
mnium, tam qui medicamentis, quam qui ma-  
nu medentur, sortem animaduertere mihi visus  
sum, adeo ut difficile sit dictu, medicine, an  
chirurgi, in curationibus suis hoc ipsum, de  
quo CELSVS loquitur, fatum magis fre-  
quentiusque experiantur. Atqui dum haec

ad-

\* ) *De medicina Libr. VII. Cap. XII. Sect. 4.*

*P R O O E M I V M.*

adhuc mecum cogito recogitoque, ecce! opportunissime accidit, vt vir integerimus mei-que amantissimus, Excellentissimus D. D. *Petrus Immanuel HARTMANN*, me ad militem secum adduceret, in sinistro brachio, transmisso per sclopetum globulo plumbeo, grauissime vulneratum, et nunc, post quatuor fere integrarum hebdomadum ab inficto vulnere transcursum, tanta sanguinis laborantem profusione, vt in maximum omnino vitae vocaretur discrimen. Ergo hic quoque non semper perpetuum esse id, quod consequi conuenit, animaduertere mihi licuit; vnde constitui protinus mecum, de secundaria hac, vulneribus nonnunquam superueniente, haemorrhagia singularem conscribere dissertationem, qua, ad summos in vtraque medicina honores adspirans, in lucem protraherem aliquid, folle-  
mnis profectuum meorum quantulorumcun-que speciminis nomine haud prorsus indignum. Cui selecto argumento quum etiam illustris

B

ex-

P R O O E M I V M.

excellentissimusque P P A E S E S, P R A E C E P T O R,  
H O S P E S Q V E meus omnibus nominibus co-  
lendus, ad sensum suum pro ea, qua me be-  
nignissime prosequitur, prolixa voluntate, de-  
disset, non dubius haesi amplius, quin ipso  
hoc instituto perfungerer labore. Serena igi-  
tur placidaque fronte accipite, benevoli lecto-  
res, hanc *de haemorrhagia suppuratoria* lucubra-  
tiunculam, *duplici distinctam sectione: altera*, qua  
suppurationis theoriam, quoad eius ex istitu-  
to facere possum, strictim traditurus; *altera*,  
qua tamquam illius effectum, grauissimam  
vulnerum quorundam haemorrhagiam, quasi  
postliminio superuenientem, expositurus, ido-  
neisque illustraturus sum exemplis. Ceterum,  
o Deus!

*o mundi maxime princeps!*

*Gloria lausque tua est, si quid mea pagina pulchri-*  
*Continet atque boni.*

MARCELLVS PALINGENIVS.

C A-



# CAPUT PRIMVM DE SVPPVRATIONE GENERATIM.

## §. I.



Praesenti igitur commentatione academica istam sanguinis profusionem, quae ex suppuratione interdum enascitur <sup>a)</sup>, descripturus, optimum maximeque concinnum mihi videor sectari ordinem, si, quomodo ipsa nostri corporis

<sup>a)</sup> Temperare mihi omnino ne- frequens eiusmodi deprehendatur quo, quin, cum haud adeo in- haemorrhagia, quae suppurationem agno-

ris natura b) suppurationem moliatur, quibusque partibus, cum tanquam instrumentis, tum tanquam materialiis, puri consciendo idoneis, vtatur, luculenter praetloquentar, anteaquam effectam institutamque ab hac naturae actione sanguinis per vasa denuo dissoluta electionem exacte demonstrem. Hae ergo disputandorum erunt rationes.

## §. II.

Si attentus fueris affectuum, corpori humano accidentium, obseruator, deprehendisse te oportet, fieri  
haud

agnoscit matrem, vehementer mirer, nulla, si quidem recte memini, scriptorum chirurgicorum extare singularia commentaria, quibus huius haud leuioris argumenti perpetratio suscepta est atque absoluta. Proinde etiam rem lectoribus gratissimam instituturus mihi visus sum, si ipsam hanc materiem praesenti dicere adgrederer comminatione.

b) Ne quis nobis alienam, vt fæpnumero fieri solet, adsingat sententiam, naturae vocem, apud medicos plerumque vago & ambiguo significatu comprehensam, hic a nobis adhiberi videns, satius duximus, inculenter ostendere, quid apud nos valeat naturae no-

men. Scilicet nobis omnibusque, mechanice de corpore humano philosophantibus, natura corporis nostri est complexus omnium ci- rium, corpori humano propriarum et insitarum, quae proximam atque sufficientem vitae continent rationem. Nostrarum vero partium in praefentia non est, expedire accuratius, cuius generis qualesque sint istae vires propriae atque innatae, quum earundem definitio a Physiologis sit repetenda. Interim sufficiat annotasse, solidarum partium physicas aequas, ac mechanicas vires, elasticitatem, verbi caussa, irritabilitatem, &c. fluidorum *zepa-* et inde dependentes proprietates, mutuumque eorundem rensum.

haud raro, vt in quibusdam dicti corporis partibus vasa, sanguiferis minora atque angustiora c), quomodo cunque per vim, siue intrinsecus, siue extrinsecus, illatam disrupta humorē stillent aut albidum, glutinosum, lauem, pinguem, spissum, nihilque olientem, aut tenuem, acrem, olidum, varioque colore, pallido, rubello, flavo, fusco, cineritio, nigroue notatum. Priori isti li- quori *puris*, nomen indere solent medici, posteriorem *ichorem* vocant, *saniem*, siue *purulentum* d).

### §. III.

Quicquid vero fit horum humorum (§. II.), nulla profecto futura esset eorundem generatio atque col-

B 3

le-

sum, his praedictis viribus adnumerari oportere. Qua de re, post diuersos varii generis scriptores, conferri in primis merentur *Ioannes Maria LANCISIVS* in *Tractatu de corde*, pag. 2. *Hermannus BOERHAAVE* in *Oratione de honore Medici, seruitute*, pag. II. et ante omnes illustris *Andreas Elias BÜCHNERVS* in *Dissertat. de optimo methodo causas morborum proximas investigandi*, §. IX.

c) Hoc ipsum quicquid est adseriti, nonnullis forsan lectoribus dubii futuri, infra suo loco pluribus et, vt reor, idoneis demon-

stratum ibo argumentis. Quae monstra sunt, ne intempestiuis atque praematuris iudiciis letorum animi praeoccupentur.

d) Ipse iam, qua erat admirabilis perspicacia, magnus *Hippocrates* variis scriptorum suorum locis τὸ πῦον, hoc est pus, et τὸ πυωδὲς siue τὸ ιχώρα, quod *purulentum* siue *ichorem* significat, optime distinxit; vt appareat ex eiusdem *Libro de alimentis*, §. 13. et 43. pag. 381. et 383. et *Coacis prænotionibus*, §. 402. pag. 183. edit. Foesiana, Geneu. cl. 10. clvii. vt plura huius generis loca non attingamus.

lectio, nisi vitali, quam natura singulis arteriosis machinae nostrae vasculis indidit, vi adducerentur, et vna cum attritis resolutisque solidarum partium adiacentium moleculis, per motum inflammatorum aut simplicem, aut ex intestina actione physica, quam putredinosam peculiari nomine insigne solemus, simul compositum, vel in laudabile pus, vel in tabum conuerterentur. Vnde quoque apparere existimamus, *suppurationem*, generatim sumtam, optime commodissimeque definiri posse per *actionem naturae*, qua diuersi corporis viui liquores, certa quadam proportione inuicem confusi, & in quodam eiusdem corporis loco quiescentes, simul cum emortuis solidis partibus in nouam singularemque materiam conuertuntur. Haec si sola inflammatione, per naturam excitata, enascitur, pus (§. cit.) audit, et ipsa haec actio *suppurationis*, strictiori atque vulgari *significatione sumtae*, accipit nomen; si vero simul ad eandem generandam concurrerit, inflammationique superuenerit putrefactio, sanies siue ichor oritur (§. cit.), *suppuratioque* dicitur *ichorosa* siue *saniosa*.

## §. IV.

Agedum! igitur, inuestigemus artes, quibus haec omnia (§. III.) natura molitur. Hoc consilio expediamus primo solidas corporis nostri partes, quae in per-

perficienda suppuratione instrumentorum vice funguntur. Atqui hac in re considerate perpensa, collatisque, quae iusta se excipiunt serie, phaenomenis, experientia nos docet, ratioque confirmat atque demonstrat, nullam vñquam existare, fieriue posse suppurationem, cuiuscunque generis sit indolisque, quam non eiusdem, qua ipsa haeret, partis incendium antecesserit (§. ciz.). Verum enim vero quoniam, perhibentibus demonstrantibusque Pathologis e), in nullis aliis machinae nostrae vitalis partibus, quam in vasculis, iisdemque arteriosis sanguiferis, accidere potest vera inflammatio, sequitur exinde euidentissime, vt solae quoque arteriae sanguiferae primaria sint, quibus natura suppurationis negotium molitur, instrumenta.

## §. V.

Verum enim vero quum inflammatio vera, quam et sanguineam dicunt, perfecta vasculorum minimorum arteriosorum sit obstructio, a sanguine ibidem quiescente orta, vt Pathologorum euincunt demonstrationes, facile hinc colligi potest, a quacunque cau-

e) Confer. v. c. Gerardi van Andreatie Eliac BÜCHNERI, Prae-SWIETEN Commentaria in Herceptoris et Fautoris aeternum colenmanni BOERHAAVE Aphorism. di, Dissertationem de inflammatione de cognosc. et curand. morb. Tom. sanguinea, hic apud nos anno I. pag. 625. seqq. §. 370. seqq. CLICCLII disceptatam. et Illustris Excellentissimique Viri,

sa, quae sanguini, per arterias transituro, obicem ponit, incendium quoque iri excitatum. Duplex autem singularum huius generis causarum genus omnium locupletissima experientia ab omni aevo demonstrauit: alterum earum, quin *intrinsecus* accidunt, et ab ipsis, cum physicis, tum mechanicis, partium corporis humani viribus excitantur; alterum vero, quod adscititas complectitur causas, quae *extrinsecus* ab aliis corporibus, humano quantamcumque vim inferentibus, concitantur.

### §. VI.

Longior autem futura effet oratio, quam instituti referret nostri, si omnes, quae *intrinsecus* in ipso corpore humano subinde enascuntur (§. V.), incendiī sanguinei caussas absolutius recensere adgredieremur. Quippe tam fluidorum, quae obturant vasa, quam solidorum canarium, qui obturantur, vitiosa indoles atque constitutio in progignendis huiusmodi inflammacionibus admodum efficax est atque foecunda. Namque, ut strictim tantummodo haec attingamus, fluidarum partium iutuitu, obstruuntur vasa, si istae fuerint aut nimis viscidae spissaeque, aut resolutae atque expansae, aut acres irritantesque, aut denique iusto copiosores. Quando vero ipsorum canarium ratio habetur, **huc referri oportet cum nimiam eorundem ab innata**  
con-

contractili virtute, vehementius et spastice agente, coarctationem; tum compressionem, a tumore effectam qualicunque, vel ipsis arteriarum tunicis *f)*, vel vicinis partibus inhaerente, inflammatory, apostematode, scirrhofo, carcinomatico, aneurismatico, certe risque, qui id genus sunt, pluribus; tum demum relaxationem vasculorum, sanguiferis minorum atque angustiorum, unde fit, ut, sublata ipsorum iusta vitalique resistentia, globuli sanguinei in eorundem causa eo usque irruant atque penetrent, donec, vasculis amplioris expansionis impatientibus, liquida illata subsistere atque quiescere cogantur.

### §. VII.

Ex parte vero paullo alia adscititarum et *externuscus* allatarum causarum (§. V.) agendi est ratio. Tametsi enim hic nonnullae offenduntur, quae et maiori vasculorum ad spasmodum irritatione, et illorum compressione, et ipsa etiam eorundem relaxatione, ut priores (§. cit.), agunt, adeoque inflammationem pro-

du-

*f)* Huius generis, exempli gratia *Vitembergae* anno 1522, fuit steatoma ipsius aortae, sub inscriptione: *Dissert. de steato quod clarissimus vir, Christianus tomatis in principio aortae arte-Gottfried STENZELIUS, quoniam repertis, et horum occasione dam obseruauit, dissertatione academicâ de cysticis in genere excredemica descripsit, iconique expre-scentiis.*

C

ducunt, est tamen bona quoque harum cauſſarum externarum pars, quae ipsa continui, quam veteres medici dixerunt, ſolutione ſuam exferunt efficacitatem. **Contraētilis** ſcilicet arteriae irritationem, vt fiat ſpas-  
mus vafculum coarctaturus, extrinſecus efficiunt, verbi cauſſa, omnia cauſtica, tam actualia, quam potentialia, vt barbare audiunt, infixa acria, acuta, et ſpiculis armata, oſſium fraetorum festucae, moleculae la-  
pidum duriorum et acutis ſegmentis diffiſſorum, ferri,  
vitrique particulae, ſclopetis aliisque modis immiſſae,  
et cetera. Porro ab externa cauſſa violenter compri-  
muntur arteriosi canales, ſi corpora quaedam dura aut  
ponderosa arctius humano corpori applicantur, vel vi  
intrusa alicubi haerent; ſi vefteſ, fasciae, ligacula, tho-  
races, et quidquid eſt reliquorum veſtimentorum, for-  
tiuſ conſtringuntur; ſi oſſa, externiſ iniuriis fracta,  
luxata, aut diſtorta, ſuaque ſede moṭa, vafculis in-  
cuſuerint; ſi veheſtentiores adhibentur frictiones; ſi diu-  
turnuſ fuerit ſuper duris rebus cubitus, et quae mille  
huiuſ generiſ ſunt cauſae. Tum relaxandis vafculis  
minoribus inſigniter fauent omnia emollientia et hu-  
meuantia topica, nec non reliqua, quae humorem  
infenſibili ratione transpirantem exitu intercludunt:  
**exempli** cauſſa, oleoſa, pinguia, acida, styptica, et  
quae ſunt cetera.

## §. VIII.

Continui denique, quam diximus, solutio (§. VII.) inter externas incendiorum sanguineorum caussas omnium maxime eminet. Cui generi omnia, quotquot infligi possunt, vulnera adnumerari oportet. Singularis autem huiusmodi obstructionis atque inflammationis, ex vulnere ortae, est genesis, strictimque pertinet ad coarctationem arteriolarum, ab aucta ipsarum contractili virtute vitali exortam. Sauciata enim atque dissecata arteria, partim intuitu tunicarum, quas habet, elasticarum, quae tunc, sublato pristino nexu, extendi desinunt, partim ob iacturam imminutumque, qui hinc dependet, renisum fluidorum, circulares vasculi fibras praecipue distendentium, recedit parum, et quasi in se ipsa coit: vnde, accidente sanguinis in vulnere per aërem coagulo, oscula canarium disrupta perfecte occluduntur, absolutamque inferunt inflammationem.

## §. IX.

Sed expediendum est porro, quo naturae beneficio, quibusque modis ex sanguineo huiusmodi incendio suppuratio (§. III. IV.) enascatur. Nempe arteriolae, dictis ex caussis (§. V-VIII.) quomodo cunque obstructae, simulac ceterarum arteriarum cordisque viribus, et vitalibus, et elasticis, pedetentim magis magisque resistere incipiunt, maiorem quoque, ac an-

tea, modo memoratarum partium experiuntur rensum. Hoc ergo efficaciori impulsu proximae, quae obstructis continuae sunt, arteriolae, tam sanguiferae, quam lymphaticae, ampliorem a distensione diametrum nactae, ab impacto et compresso sanguine explentur, et sensim ad summum tensionis gradum et imminenter disruptionem usque expanduntur. Inde ergo mutuus maximusque fluidarum partium inter se et solidas vasculorum tunicas oritur attritus; inde celerior sanguinis per pauciores arterias adhuc patulas ad venas atque cor euadit regressus. Hinc in affecta parte rubor, tumor, durities, dolor, calor, ictusque arteriosus; hinc aestus, sitis, inquietudo, vigiliae, febris.

### §. X.

Omnium autem singulorumque horum vitalium motuum paullo auctiorum (§. IX.) administratione duplex tantummodo oritur effectus *g*). Alteri horum alter omnino longe est praferendus, si quidem per ipsam obstructionis fieri potest naturam. Nempe tum quiescens, arteriasque obturans, atque permeatu intercludens humor, partim per auctam istam cordis, arteriarum maiorum, neruorumque vim et actionem,

partim

*g) Terminus enim in sphacelum, sae* (§. III.): *in scirrum autem de-*  
*quem nonnullae fortiuntur inflam-*  
*mationes, species est, si striete consi-*  
*deretur, suppurationis, licet ichoro-*  
*sinens incendium tantum ad glandu-*  
*las pertinet, quod deinde, quoad*  
*nosta hic intererit, attingemus.*

partim per alluentem a tergo sanguinem, diuerticulo suo motus denuo abripitur, mobilisque redditur, ceterisque circum'euntibus succis vitalibus iterum admiscentur. Haec est, quam medici vocant, *discussio* siue *resolutio* inflammationis. Cae*re* autem, hoc naturae beneficium exspectes, nisi, vbi ad solida attenderis, vasa ipsa inflammata sint pauciora, integra adhuc, flexilia atque mobilia, non contracta nimis atque rigida, aut nimium soluta atque laxa; porro nisi, fluidorum intuitu, paucus tantummodo quiescat humor, et minime sit malus, aut putris, acris, canalesque exedens, ceterique adfluentes humores sint blandi, mobiles, atque diluentes; denique nisi, quae ex his fluunt, inflammatione parum sit magna atque profunda, motus humorum circulatorius sedatus moderatusque, cum febre temperata, parumque aestuosa.

### §. XI.

Atqui hic inflammationis euentus (§. X.) ab instituto nostro argumento alienus est; quandoquidem potius alter, quo incendium sanguineum terminatur, modus inferuit. Scilicet, vbiunque in incensa quadam corporis humani parte copiosissimi canales sunt obstructi, aut iam disrupti atque discessi, aut nimis renitentes atque contracti, aut denique admodum laxi; ipsis vero humores, tam qui vasculis obturatis oc-

clusisque inhaerent, quam qui ex vniuerso corpore adfluunt, aut iusto sunt spissiores, aut in coagulum proni, aut a vehementiori arteriarum vi maximopere compressi, tunc tantum abest, ut obstructio inflammatoria discutiatur (§. X.), vt potius inhaerens fluidum vasculis fortius profundiusque infarciatur, donec, incrementibus omnibus inflammationis symptomatibus (§. IX.), ipsa vasa, aut sub summa tensione disrumpuntur, aut, si iam antea fuerint discissa, saltem in finibus suis, quibus ruptio facta est, amplius resoluuntur atque dehiscunt. Atque hic naturae motus, ad quem ipsa diuersos corporis nostri adhibet succos, est illa ipsa, cuius theoriam hic tradimus, suppuration.

## §. XII.

Verum enim vero vt haec luculentius perspiciantur, et promissi, et instituti refert nostri (§. III. IV.), *secundo* hic expedire, cuiusnam generis sint ista fluida, quae huic negotio natura impendit. Simulac vascula isthaec inflammata (§. XI.), dictas ob caussas, puri generando accommodantur, tunc demum aut integra, aut in finibus suis discisis atque contractis, sicubi forte iam antea fuerunt disrupta et in ipsis tantummodo, quae diximus, diuisis osculis incendum susceperunt, ab extremitate motu inflammatorio dehiscunt: prius in abscef-

su,

fu, posterius in vulnere accidit qualicunque. Quis quis autem horum fuerit statuum, tum primo *sanguis*, vel in incensis vasculis eorumque finibus haerens, et ruptis, quibus continebatur, tunicis emissus, vel simul is, vtut paucus, qui in vulnere a prima profusione adhuc supereft, vt est stagnantis croris natura, coit, et in nouo hoc suo receptaculo quaquauersum ab intertextae tela cellulosa <sup>b)</sup> circumdatus atque interclusus, partim aucto ipso arteriolarum, osculis patentibus atque denuo reclusis et liberatis efficacius agentium, impulsu, auctisque adeo febre, vitalique calore, partim intestino, eoque physico, motu, per intensiorem aestum itidem aucto, atque in leuissimam putrefactionem procliui, dissolui incipit. Hinc tam a calore, quam ab attritu mutuo, rubicundi sanguinis globuli rumpuntur, et in elementa sua fatiscunt, simulque, amissio purpureo colore, in subalbidam materiem conuertuntur, et, dissipata per febrilem aestum <sup>i)</sup> tenuiore portione, paullo densantur.

### §. XIII.

*b)* Recte haec intellecturi inter-  
est omnino, vt cellulosae tunicae  
fabricam optime habeat perspectam.  
Quo consilio euolui volumus *Ca-*  
*roli Augusti a BERGEN Dissert.*  
*de membrana cellulosa*, Francof. ad  
Viadr. <sup>c) 1732.</sup> et Davidis  
*Christophori SCHOBINGERI Dis-*

*sert. de tela cellosae in fabrica*  
*corporis humani dignitate*, Goetting.  
*c) 1758.* et denique *Alberti de*  
*HALLER Elementa Physiologiae*,  
*Libr. I. Cap. II. pag. 8. seq. Lau-*  
*fannae, c) 1757.*

*i)* Quanta caloris febrilis in  
mouendo pure sit necessitas, iam  
priorum

## §. XIII.

Inter haec vero disrupti arteriolarum fines (§. XII.), sublata naturali, quam integritas praestabat, tensione, in semet ipsi, ut iam supra ostendimus (§. VIII.), coëunt quasi atque retrocedunt. Imminuta ergo adeo atque angustata diametro hi ipsi canales, qui sanguinem antevehebant, eundem hunc humorem permeatu iam intercludunt, lymphaticorum globulorum admissui tantummodo conuenientes facti k). Ex his ergo aequae, ac ceteris veris paullo minoris diametri arteriolis lymphaticis l), contiguorum vasculorum arteriosorum

vi

priorum seculorum medici recte intellecterent. Ita, verbi caussa, Jacobus HOLLERIVS in *Commentar. in Aphorism. HIPPOCRATIS Sect. II. Aphor. 47.* diserte: *Pus, est, ait, transmutatio sanguinis in substantiam albam, lauem et aequalem; idque beneficio caloris natiui et naturae integrae partium solidarum.*

k) Luculentissime haec phaenomena, quae in vulnere nuperime inficto conspicuntur, declarant. Dum enim illatum est vulnus, statim purpureus optimusque larga copia, nisi quidem aliae obstiterrint caussae, effunditur sanguis; sensim vero, coëuntibus osculis, imminuitur profusio, et tandem

sponte quiescit, sub finem humore tantum tenui, diluto, subalbidoque exeunte. Intelligetis nunc, optimi lectores, quid nobis fuerit caussae, cur supra (§. II.) puri concipiendo atque generando vasa tantummodo vindicauimus sanguiferis minora.

l) Erunt forte, qui, nuperas Vironum Celeberrimorum, Ioannis Friderici MEKELII in *Dissertat. epistolar. de vasis lymphaticis glandulisque congregatis*, Berol. 1757. et Alexandri MONROO iunioris *Libello de venis lymphaticis et valvulosis*, ibidem et eodem anno emisso, exstantes observationes secuti, lymphaticas has, quas diximus, arterias negabunt. Quod, etiamsi

con-

vi vitali ante memorata (§. XII.) disruptis atque consumtis, quantacunque etiam *lymphae* portio, quippe succi ceteroquin facillime in coagulum putredinemque abeuntis, sanguini isti, in cellulosa telae cauer-nis effuso (§. cit.) adstillat, simulque per easdem praedictas physicas vitalesque corporis nostri vires (§. cit.) ad puris impenditur generationem.

## §. XIV.

Plurima vero huius puris (§. II. XII. XIII.) pars est materia adiposa atque oleosa, verus ille diuerticulorum atque recessuum, a tela cellulosa formatorum, hospes. Quippe fieri nequit, quin, cum sanguis (§. XII.) et *lympha* (§. XIII.) in has cellulas effundantur, adeps quoque hic stabulans a calore praeter naturam aucto atque intenso liquetur, exacteque ceteris istis succis permisceatur *m*). Vnde, teste frequenti experientia, iis etiam in locis, quae multum pinguedinis alunt, verbi causa, in mammis, et copiosior,

et concesserimus, generatim tamen rum vasorum initiis destruatur, nostram non euertit theoriam. mirum esse potest nemini, vnde Ad fundi enim cum sanguine lym-pham, hancque dein in telae cel-lulosae caua, et ex his in venas

*m*) Magna, vt solet, accuratio-

lymphaticas deferri, ipsi praedicti adserunt viri. Enimuero, quum in suppuratione ipsa quoque cel-lulosa tela vna cum lymphatico-

tione haec demonstrauit *Ioannes Grashuis* in *Dissertatione de ge-neratione puris*, pag. 16. sq. edit. Amstelod. c*l*o*l*cc*xlvii*.

et melioris notae esse solet suppuratio. Ad haec quoque ipsa pinguis, vnguinosa, spissa, atque laevis puris laudabilis natura huic adipi originem suam debere videtur. His denique omnibus, ad constituendam puris mixtionem pertinentibus, particulis adnumerari adhuc oportet ipsa vascula disrupta atque resoluta, ceterasque partes solidas, quae hic iacent vicinae, et ante omnes telam cellulofam, uti complures sumorum virorum obseruationes docuerunt <sup>n)</sup>.

## §. XV.

Atque sic (§. IX - XIV.) *simplex* strictoque significatu denotata oritur progrediturque *suppuratio* (§. III.). Moto vero maturoque puri aut superpositis tegumentis per ipsius naturae vim disruptis, aut, si a vulnera fuerit ortum, ex hiantibus eiusdem labiis, aut denique interdum, ubi nec natura perrumpendo puris receptaculo sufficit, nec patulum adest vulnus, incisione per artem tempestiue facta, exitus paratur. Inde sensim, quod genitum est, pus educitur, et abscessus vulnusue purgatur; donec ab alluente blando, et san-

<sup>n)</sup> Cuius generis exempla ex in *Dissert. de elasticitatis effectibus* hibent modo laudatus GRASHVIS in *corpo humano*, pag. 8. *Nalibr. citat.* pag. 22. seq. Henricus thanael HODGES in *Loimolo- Franciscus le DRAN* in *Obserua-* *gia*, pag. 130. edit. Londin. *tions de Chirurgie*, Tom. I. Obs. clo loc LXXI. aliique complures XCIV. Fridericus HOFFMANNVS idonei testes.

sanguineo, et lymphatico liquore, sub temperato et in dies pacatiore facto vitalium humorum motu, proportionataque cordis et arteriarum actione, solidae quaecunque partes, antea destructae atquae dissolutae, iterum increscere incipiunt, tandemque obstructioni, inflammationi, suppurationique salutarem imponunt finem.

## CAPVT ALTERVM

DE

### HAEMORRHAGIAE SVPPVRATORIAE

ORIGINE CAVSSISQVE.

#### §. XVI.

Ergo nullum a suppuratione haemorrhagiae periculum erit extimescendum, quum tam salubri laetabili-que fine ipsa terminetur (§. XV.). Ambabus hoc, ut aiunt, manibus concedemus, si adserti huius ratio ad solam simplicem, quae optimo laudabilique scatet pure, et quam hactenus (§. IX-XV.) curiose descripsimus, referatur suppurationem. Sed superest alterum, priori peius maligniusque suppurationis genus, quod, ab ichorosa, quam producit, materie, saniosa

D 2

siue

siue *ichorosa suppuratio* dici solet (§. III.). Euoluamus igitur nunc porro alterius huius suppurationis genesis caussasque, atque periculum faciamus, vtrum exinde non solum oriunda concipi, sed vere exorta explicari quoque possit haemorrhagia, nec ne?

## §. XVII.

Atqui in euoluendis huius suppurationis malignioris (§. XVI.) rationibus memores esse volumus lectores supra disputatorum (§. III.), quibus adseruimus, partim vitali inflammatorio naturae motu, partim superueniente putrefactione, saniem oriri. Quod qua ratione et vnde fiat, expedituris nobis commodum erit, si, vt in prioris suppurationis explicatione, itidem cum ad solidarum partium, tum ad humorum indolem et varias inde dependentes vires attenderimus actionesque. His enim ex causis non solum vel optima suppuratio saepenumero deprauatur, et in ichorosam acremque transit, sed efficitur quoque, vt statim interdum, anteaquam laudabile pus enasci potest, huius loco sanies generetur, et interna corporis humani

*atram manent penetralia taba (o.)*

## §. XVIII.

Quodsi igitur solidas partes in tantum, in quantum bonae notae suppurationi officiunt, primo  
 (§. XVII.)

• OVIDIUS *Metamorphos. Libr. VI. v. 646.*

(§. XVII.) intueamur, duplii in primis vitio id accidere, facile deprehendemus. Namque tam isti canales, in quibus obstructio sedet, quam ceteri, qui vitalem adhuc exercent motum, humoresque a tergo aduehunt, aut sunt nimis rigidi atque valentes, minusque flexiles, aut sunt laxi nimis atque inertes. At in priori ista vitiosa vasculorum membranarumque constitutione duplex denuo praesto esse solet ratio, vel interna, vel externa. Internam constituit ipsa naturalis elementorum, quibus solidae partes sunt compositae, cohaesio iusto maior arctiorque: vnde vasā, obstructionem passā, potentissime humorī impacto renituntur, donec subito simul, et non pedetentim, rumpuntur; vnde febris fit intensissima et feruidissima; vnde liquida quiescentia a reliquis, qui a tergo adfluunt, humoribus validissime comprimuntur, et, dissipatis per calorem attritumque tenuioribus particulis, maxime densantur et spissescunt; vnde obstructiones inflammatoriae plurimis vicinis arteriolis inferuntur, adeoque latiorem profundioremque reddunt inflammationem; vnde concepto in abscessibus puri tempestiuus negatur exitus; vnde, aucto aestu, putrefactio acceleratur et increscit, et quae denique sunt cetera id genus mala inde oriunda. Externae causae, quae renisum atque duritiem vasorum sustentant augentque, eadem pessima symptomata producunt. Huc pertinent omnia,

quae vasa coarctant, contrahunt, comprimuntque, verbi causa, maior humoris, ex ruptis vulneratisque vasculis egressi, moles, quae a vitali motu non satis digeri et in pus conuerti potest, aut in eiusmodi corporis nostri cauum emissâ est, vnde eductioni non datur locus; porro frigus acre, ossa fracta, aut aliena quaedam corpuscula, in corpus intrusa, quae iterum tolli non possunt, obstructisque vasculis incumbunt; et ex remediis denique topicis adstringentia, frigida, repellentia, pinguia, anodyna, caustica, et quae huius commatis sunt reliqua.

### §. XIX.

Alterum vero solidorum vitium huc spectans (§. XVIII.), fibrarum scilicet et vasculorum nimia *inertia laxitasque* efficit, ut maxima in obstructis incensisque partibus humorum quiescentium colligatur copia, motus cordis et arteriarum sit tardior inefficaciorque, renisique liquorum in vasa impactorum nequaquam respondens atque proportionatus, humores diutius stagnent, anteaquam disrumpantur et dehiscant canales occlusi et inflammati, et hinc, cum per physicas, tum per physiologicas leges, intestinus fluidorum motus, in putredinem admodum procliuis vergensque, auctior potentiorque fiat, eoque nomine materies quomodo cunque mixta, puri generando de-

sti-

stinata, acrior intemperatiorque euadat. Quod qualecunque solidae portionis, in corpore humano praesentis, vitium itidem, ut prius (§. cit.), tam *intrinsecus* ex nimia fibrarum elasticarum irritabiliumque debilitate, tam naturali atque connata, quam aduentitia nouissimeque contracta, nascitur, quam ab incongruo intempestiuoque *externorum* topicorum emollientium, relaxantium, humectantium, et eius generis ceterorum remediorum producitur usu.

§. XX.

Longe vero maior locupletiorque *fluidorum* (§. XVII.) in suppuratione saniosa arcessenda est administratio: cui duplex omnino genus conuenientissime statui posse, crebriora obseruata docuerunt. *Aliud* enim statim alicubi in corpore subnascitur, inflammationem grauem profundamque presso quasi infectans pede: *aliud* vero ex ipso, licet ceteroqui laudabili, generatur pure. Vtriusque ergo huius generis rationes expedire nos oportet. *Prius* autem istud genus, simpliciter saniosum, nullaque praeconcepta bonae notae materia purulenta natum, *duplici* denuo modo habituque in scenam prodit. Quodsi enim *primo* cum quiescens in obstructione humor sua natura malus est atque acer, tum reliquus a tergo alluens corporis humani latex *cacochymicus* est atque vitiatus, in primis

si ac-

si accesserint admixtum quodcunque venenum aut miasma, itemque acre frigus aut aér tepidus, humidus, vappidusque liberius atque incuriosius admissus, et reliquae huius generis caussae, a chirurgicis scriptoribus passim abunde satis enarratae; aut si stagnans inflammatorius humor profundissime vasculis deprehenditur impactus, et inter omnes has fluidorum conditiones demum is simul coniunctus adfuerit solidorum status, quem ex rigiditate nimia vitiosum adfirmauimus (§. XVIII.), mox vasculis subito longe lateque disruptis omnia, quae circum fluunt iacentque, celerime putrescant, et in eam abeunt saniem, quae in gangraena sphaceloque animaduertitur, quaquauersus quascunque, quae ab ipsa vix attinguntur, solidas partes acrimonia sua exedentem depascentemque. Vnde hoc quoque saniosae suppurationis genus opportunitissime *suppuratio gangraenosa atque sphacelosa* poterit appellari.

## §. XXI.

*Alter* vero, quo prius illud ichorosae suppurationis genus (§. XX.) se exserit, *modus* tardissime procedit, chronicamque praemittit labem, anteaquam saniem enititur. Nempe sicubi forte inflammatio in eiusmodi partes corporis humani inciderit, in quibus naturalia, quae ibi colliguntur segreganturque, liquida paullo

paullo inertioris sunt naturae, facillimeque in coagula atque concrementa spissiora transeunt, verbi causa, lympha glandularum, in primis lactea illa in mammis, liquor seminalis in testiculis, immo quoque biliosa massa in biliariis iecinoris poris *p*), et cetera id genus fluida; porro in quibus vis cordis et arteriarum maiorum est minima, quaeque ipsae a natura debilioris, laxioris, teneriorisque sunt structurae (§. XIX.) quam indolem itidem modo nominatis glandulis reliquisque visceribus, haud adeo dissimili fabrica constructis, vindicare per Anatomicorum demonstrata licet; tunc ab impacto per vim inflammationis humore folliculi ductusque glandulosi, ceterorumque, quos excitauimus, minimorum tubolorum latera saepenumero iusto nimis distenduntur (§. cit.), intromissusque liquor, aucto interea febrili calore partium vicinarum, partim per proxima et continua naturalia emissaria tenuissimam nobilissimamque sui partem exhalat atque diffat, partim superstitem crassiorem compingit, durissimamque efficit. Hinc *scirrhi* origo.

§. XXII.

*p*) Tametsi scirrhi sedes a posteriori Pathologorum parte glandulis propria aestimatur, ex hic tam dictis caussis factum est, ut rari passim quoque, ob adfectus similitudinem, hapatis, lienis, testium, etc. scirrhos audias enarrare.

## §. XXII.

Atque hic, nisi vexetur, scirrus (§. XXI.) insens manet quietusque. Verum enim vero accidit haud raro, ut a quacunque caussa, tam interna, quam externa, quae quidem in concitandis corporis humani humoribus aliquid valet, verbi gratia, ab animi pathematibus, a voluptatibus venereis, a vietu calefaciente et spirituoso, a motione corporis vehementiori, et ceteris, porro speciatim in affecta parte a frictionibus, pressionibus, contusionibus, itemque remediis acribus, rodentibus, spirituosis, pinguibus, et id genus aliis; ut, inquam, ab eiusmodi caussa liquores, qui in vasculis, margini scirri vicinis, sunt contenti, exagitentur, suisque canalibus incendium inferant. Inde, ruptis ob obstructionem irresolubilem vasculis, humores, quiete antea in scirro haerentes, novo hoc motu et attritu in putrefcentem quoque intestinum rapiuntur motum, et acerrimae euadunt temperiei. Quo facto omnia, quae circa sunt, erodunt exeduntque, et aliquamdiu adhuc suis coercentur folliculis, *cancrum* adeo, quem dicunt, *occultum* formantes: demum vero velamentum, quo comprehenduntur, per rumpunt, faniemque sic eructant tetteriam, foetidissimi odoris, tantaeque acritudinis, ut non solum intercurrentia vasa, carnes, cutim, et quicquid solido-

dorum adiacet, sed ipsa quoque superiniecta linteamina atque linamenta perrodat q). Qui illaetabilis status *cancer apertus* siue verum *ναεριωμα*, ipsaque, quae ipsum gignit, *suppuratio cancerosa* siue *carcinomatrica* appellatur.

§. XXIII.

Postremo denique ipsum etiam ceteroqui laudabile pus (§. III.) ex eorum fluidorum genere est (§. XVII. XX.), quae suppurationi saniosae inferuire possunt. Quippe ad generandum non solum, sed etiam in iusta benignaque constitutione conseruandum pus, rectam eiusdem mixtionem, legitimamque solidorum in mouendo pure actionem, et tempestiuam denique collecti puris ejectionem pertinere, priori demonstrauimus capite. Proinde omnia, quae pus, tam in vulnere, quam in abscessu, enatum vel diutius reprimunt exituque excludunt, exempli gratia, vultur collisum, infrequens et incuriosa eiusdem aut abscessus mudificatio, abscessus serius apertus, etc. vel attenuant et in putredinem vertunt, verbi caussa, praeter exempla modo adducta, aer improuide et diu aperito sub deligatione vulneri apostematique admissus, ca-

E 2

lor

q) Haud poenitebit lectores, de *dream Eliam BÜCHNERVM in Dis-*  
*stupenda hac saniei cancerosae indole fert. de usu mercurialium in cancro,*  
*consuluisse imprimis Illustrum An-* hic ventilata *cliocclv. §. XX. seq.*

lor tam externus, quam internus nimius, alcalina sa-  
lia applicata, etc. haec, inquam, omnia pus ita inuer-  
tunt, et acre reddunt, vt omnes, quoisque pertin-  
gere potest, vicinas partes erodat, viasque sibi per  
anfractus et sinuosa vlcera pandat. Hinc ejusmodi  
laudabili suppurationi immutatae et corruptae oppor-  
tunum foret *suppurationis ulcerosae* nomen.

## §. XXIV.

Atqui nunc vel duobus verbis primarii nostri, de  
quo disputare suscepimus, argumenti, haemorrhagiae  
nempe suppatoriae, origines caussaeque erui possunt.  
Scilicet haec omnis disputatis nostra in eo est versata,  
vt ipsas has caussas, vnde sanguinis profusiones sae-  
per numero suppurationibus superueniunt, praeftruere-  
mus. Eiusmodi autem haemorrhagiae, vti ex com-  
pluribus corporum dissectionibus, apud Anatomicos  
practicos reperiundis compertum est, ortum debent  
tunicis vasorum maiorum, arteriosorum aequa, ac ve-  
nosorum, a pure acri et ichorofo extus exesis. Vnde  
apertissime sequitur, vt *primo*, quoniam pus laudabile  
et simplex nunquam erodentis est naturae, eiusmodi  
haemorrhagiae semper suppurationis cuiusdam saniosae  
sint soboles; *secundo*, vt eadem caussae, quae suppura-  
tionem saniosam progignunt (§. XVI-XXIII.), eiusmodi

hae-

haemorrhagiae ortum maxime adiuuent promoueantque; *tertio*, vt, si in vulnere, ceteroquin bonae notae pus alente, huius generis haemorrhagia enascatur id ipsum indicium sit puris insaniosam indolem conuersi, quod, vt modo exposuimus (§. XXIII.), in vulneribus in primis collisis aut incuriose a collecto et vrgente pure mundatis fieri adsolet; *quarto*, vt huius commatis profusiones sanguineae plerumque difficultioris sint curationis, quoniam' maiora vasā ab ichore non statim ex omni parte sunt erosa, sed potissimum ex uno saltem latere violentam passa sunt erosionem. Has autem inter suppurationi superuenientes haemorrhagias frequentiores deprehenduntur carcinomaticae suppuratoriaeque.

§. XXV.

Proinde, anteaquam differendi finem faciam, illustrationis caussā duo huiusmodi memorabilia exempla subiungam: alterum, suppurationem vulneris cuiusdam grauissima haemorrhagia stipatam sistens; alterum, lethale sanguinis profluuium in foeditissimo carcinomate subortum exhibens; quae bina specimina mecum communicauit Vir Excellentissimus D. Petrus Immanuel HARTMANN. Prius sequentis est argumenti: Miles quidam, viginti sex annorum, temperamentum natus cholericō - sanguineum, vegetae ceteroquin constitu-

tionis, succisque optimae notae plenus, in eo praelio, quod Iulio Mense huius Anni, Borussos inter et Russos ad Crostnam Silesiorum intercessit, glandis plumbeae iectu tanta plaga in sinistro brachio est transactus, ut non solum proxime ad carpum sub radio vulneris esset initium, idemque transuersim superiora versus, laefis et diffisis plurimis musculis, manum mouentibus, pergeret, sed etiam satis insignis vlnae portio, trium circiter pollicum longa, haud longe a corona cubiti, simul esset absunta et in plurimas festucas displosa. Vulneratus ergo ex praelio secessit; vix tamen duabus diebus post primum a Chirurgo castrensi fascia vulneri est superinicta, eodem ob haemorrhagiae metum leuissime tantum purgato. Inde per varias vicissitudines multaque discrimina, quae in itinere sustinuerat, post tres ab accepto vulnere hebdomades Halam est delatus hic miles, postquam integro hoc temporis intervallo ipsi vulneri nullibi constans atque idonea curatio adhibita erat. Mox enim collisum est vulnus, mox denuo apertum; mox intumuit ab incendio vicinarum partium, mox detumuit discussa inflammatione. Tandem hic apud nos perpetuae Chirurgi, qui rite tractaret purgaretque vulnus, traditus est curae. Is ergo, festucis, quae supererant, fracti ossis et particulis quibusdam vestis simul transfossae ex paullo ampliato per incisionem vulnere remotis, quum

quum videret, laudabile nunc pus enasci, infrequenter sufficere deligationes ratus, semel tantum in die tractauit vulnus. At ecce! collectum inde in tam copiosa tot tamenque plurium partium laesarum suppuratione pus paullo largius leuiter putrescere et in sanguinosam conuerti coepit materiem, diuturnioris illius morae, quam ipsi Chirurgus concesserat, impatiens. Subito ergo venosa quaedam paullo maiora vasa brachii, quae intus circa erant, post vicesimum septimum ab inficto vulnere diem ab acriori pure ita sunt exesa, ut intra trium dierum spatium, repetitis vicibus, tantam vim sanguinis profuderint, quantam vix decem vndeclimque mensurae ciuiles capere possent. Accesserunt febris intensior, vomitus, animi deliquia, summaeque virium deiectiones. Quibus symptomatis mitigandis postquam idonea remedia interna sufficerant, ipsa quoque enormis haec mortemque minans haemorrhagia suppuratoria sequenti obtemperauit liqui vulerario, tam per siphonem infecto, quam etiam linteis eodem madefactis, ad vicinas vulnerique adiacentes partes applicato: Recipe balfami vulnerarii albi Dippeliani vncias sex, spiritus vini alcoholisati et phlegmatis, quod postremo in destillatione liquoris anodynii alembicum transcendit, ana vncias tres, misce. Quo liquore, quum suppuratio laudabilis minime impediretur, postea quoque vulnus est elotum,  
donec

donec, obducta bonaë notae cicatrice, perfecte consanuit. Posterius exemplum infeliciorem habuit euentum. Vir septuagenarius, a veteri quodam concepto miasmate venereo delitescente infectus, et ceteroqui cacochymicus, vitaeque voluptuosae deditus, potuique spirituoso adsuetus, ad radicem narium vlcus concepit, a variis remediis incongruis domesticis tandem in perfectum transiens carcinoma. Tum demum, licet ferius, Medicorum implorauit opem. Ex cancroso enim vlcere luxurians caro fungosa teterimum fundebat ichorem, adeo foetentem, ut vix adstantes perferrent. Eo usque demum proserpsit malum, donec subito erosa quaedam paullo maior arteriola miserrimo huic seni lethalem contraheret haemorrhagiam.

## §. XXVI.

Hic ergo dicendorum esto finis. Quænam enim huiusc generis haemorrhagiis non temerarie atque incongrue sistendis adhibenda sit methodus, ad instituti nostri rationem neutiquam pertinet, sed ex aliis institutionibus chirurgicis repeti debet. Nos interim vberrimos laborum nostrorum fructus consecuti nobis videbimus, si chirurgi inde ad suppuratorias haemorrhagias attensiores fiunt, neque, vt fiant, incuria sua atque negligencia egrotantes atque vulneratos saepe iuulent, praematurumque horum vitae contrahunt

FINE M.